



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Articulus III. Quæ excusent à recitatione Horarum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42600**

gant *Panorm. l. Andr. Butr. Silv. Rosel. Arm. Tabien* aliique cum *Nav.*, qui dicit esse communem sententiam, quia hæc obligatio videtur tantum oriri tanquam poena ex *Constit. Conc. Later. & Pii V.* Econtrà esse ex justitia docent, imprimis illi n. 1207. relati, qui putant orationem deberi ex justitia, deinde idem tenent *Sot. Calder. Adrian. Ang. Dur. Az. Suar. de Horis c. 29. Illf. t. 5. n. 38.*, tum quia fuit acceptio mercedis sine præstatione laboris, tum maxime quia *Conc. Later. & Pius V.* dicunt eos, qui non orant, non facere fructus suos, Item injustè percipere, ergo ex justitia tenentur restituere: Et hæc sententia videtur probabilior.

1217.

## ARTICULUS III.

*Quæ excusent à recitatione Horarum.*

“**R** Esp. Hæc seqq. 1. Infirmitas gravis, v. g. dolor notabilis capitis, ita ut sine incommodo vel incremento morbi, legi non possint. Dixi, *gravis*: quia levis, v. g. dolor stomachi aut pectoris, vel etiam aliquando febris tertiana aut quartana non excusat, cum toto die non affligat. Ita *Nav. Fill. Lay l. 4. tr. 1. c. 6. Bon d. 1. q. 6. p. 1.* Porrò taliter excusatus non tenetur, ut quidam volunt, audire alium legentem, nec alium substituere, ut habet *Fill & Sa v. Hora.* Si tamen commodè potest, & solet legere cum socio, tenetur, ut habet *Less. & Bon v. Dia. p. 2. t. 12. R. 43.*

“ 2. Justum impedimentum, v. g. metus prodicionis inter hæreticos; Item gravis vel repentina occupatio, vel opera charitatis majoris momenti, quàm Horæ, quæ sine scandalo vel gravi incommodo tuo vel alterius omitti non possint: Quo- modo

modo et si Concionatores vel Confessarii aliquan-  
do excusari possint, idque ex benigna Ecclesiæ in-  
tentione, ut docet *Syl. Sua. & Lay. &c.* tenentur  
tamen anticipare, si possint, v. g. si manè prævi-  
deas, te totâ die Confessionibus occupandum, quæ  
differri non possint. Ita ex *Suar. & Azor to. 1. l. 10. c.*  
*13. q. 15. & 19. Bon p. 2. n. 1. & 2. &c. com-*  
*muniter.*

Ex hoc capite dicunt etiam aliqui, non teneri tes-  
tari, quod neglexisti, ( nec recitando, nec audi-  
endo) dum thurificando ad Magnificat, vel Benedi-  
ctus, vel libros necessarios circumferendo, vel le-  
ctionem mox cantandam prævidendo, vel alia in  
choro necessaria peragendo, occupatus fuisti, quia  
chorus totus pro eo, qui in re ad Officii celebra-  
tionem pertinente occupatur, videtur supplere; & non  
tantum suo, sed etiam aliorum ministrantium no-  
mine, recitare aut canere. Ita *Lay. c. 5. n. 7. Henr.*  
*Syl. Azor. Sol. Molf. Naldus, Arag. Regin. citati*  
*Dia. R. 13.* Idem de eo, qui choro organis musi-  
cis alternis versibus respondet, dicunt *Nav. Sanch.*  
*Arag. & Rodrig. apud Lay. l. c.* scilicet eum non  
esse obligatum, ut etiam voce proferat: sed negat  
*Escob. t. 5. E. 6. v Trul. to. 1. l. 1. c. 7. d. 16.*

3. Cæcitas, *Bon. to. 1. de recit. div. off. d. 6. q. 6. p.*  
*1. n. 4. &c. communiter.*

4. Carentia Breviarii inculpata. Quod si tamen  
memoriter possis dicere, vel totum officium, vel  
unam horam, teneris. Si verò tantum scias psal-  
mos, vel lectiones, vel capitula, dicit *Fil. tr. 23. n.*  
*187. Nav. & Suar.* Item *Escob. E. 6. c. 3. & 4.* pro-  
babile esse, non teneri, quia psalmi ut sic, non sunt  
hora Canonica, ad quam tenetur Clericus. Item  
dicit *Gar. de Ben. p. 2. c. 1. num. 221. Mald. in 2. c.*  
*1. l. 10. c. 2. d. 5. & I. Sancius in select. d. 15. n. 1.*

citati

citati à *Dia.* eò quòd lectiones & capitula sint pars  
 (licet minor) maximè principalis, ita ut absque  
 illis non sit officium Canonicum. Idem concedit  
*Sanc. l. 1. c. 19.* in Matutino festi duplicis, vel semi-  
 duplicis. *v. Bon. l. c. p. 2. n. 6. Dian. R. 30. & 43.*  
 Verùm hæc probare non ausim, sed potius, quod  
 docet *Bon. to. 1. d. 1. de offi. div. recit. q. 6. p. 2. n. 6. &*  
*7.* impeditum ex aliqua dictarum causarum, si pos-  
 sit dicere partem notabilem, ad id teneri, aliàs ad  
 nihil. Denique si quis careret Breviario, quo uti  
 solet, v. g. Romano, teneretur legere aliud, quod ha-  
 bere potest, quia per utrumvis impletur substantia  
 præcepti. *Cresc. Escob. Dia. p. 9. t. 9. R. 25.*

5. Dispensatio, quam sine causa, solus Papa dat  
 validè, cum causa Episcopi: Et sic Subdiaconum,  
 qui ex dispensatione Pontificia duxit uxorem, hoc  
 ipso liberari ab onere Horarum, contra *Bon. &*  
*Azor.* docet *Sanch. de mat. l. 8. d. 8. Dia. p. 8. t.*  
*3. R. 34.*

### A D D E N D A.

1218 **Q.** 191. *An qui non potest recitare totum Offi-  
 cium, teneatur ad partem, quam potest. R.*  
 Affirmativè, uti colligitur ex damnatione hujus  
 prop. facta ab *Inn. XI. Qui non potest recitare Ma-  
 zutinum & Laudes, potest autem reliquas Horas,  
 ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se mi-  
 norem.* Circa hanc propositionem sunt hæc notanda.

1219 §. I. Falsitatem hujus propositionis damnatæ  
 rectè ostendunt *Carden. in 2. criti d. 33. & Illj. T. 5.*  
*n. 41.*, quia singulæ Horæ per se continent distin-  
 ctam integram orationem, quæ potest dici separa-  
 tim ab altera; deinde quia qui non potest solvere to-  
 tum debitum, tenetur ad partem divisibilem, quam  
 potest,

potest, ergo similiter hîc; præterea qui ordinatur horâ 12., tenetur ad Vesperas & Completorium, licet non teneatur ad reliqua, uti communiter tenent omnes; Denique qui caret breviario vel est cœcus, & scit Primam vel Completorium memoriter, tenetur ad hoc, uti etiam communiter tenent omnes, & dicitur n. 1230., ergo similiter hîc. Hinc qui non potest Matutinum, potest autem Laudes, tenetur ad has, etiam dato, quod Matutinum & Laudes constituent unam Horam, quia communiter censentur veluti duæ Horæ, Laudes enim liberè dividuntur à Matutino, & in se seorsim habent formam unius integræ Horæ, *Carden.* n. 37., addens n. 42. eum, qui in Officio trium Nocturnorum non posset recitare nisi unum, teneri ad hoc unum, quia singula Nocturna sunt materia dividua etiam pro choro, & considerantur ad modum unius Horæ, præsertim cum in Paschate & Pentecoste totum Matutinum constet unico Nocturno.

§. II. Qui non potest orare majorem partem unius Horæ, uti si ex prima Dominicæ essent lacera-  
ta duo folia, *Suar.* de Horis c. 28. n. 26. docet non esse obligationem illam partem exiguam recitandi. Idem dicunt *Saneh.* in Decal. l. 1. c. 19. n. 8. *Castrop.* t. 7. d. 2. p. 6. n. 7. *Tamb.* in Dec. l. 2. c. 5. §. 8. n. 10. *Diana* p. 2. t. 12. R. 43. *Sporer* in Th. sacram. de Ho-  
ris n. 174., si pars notabilis omitti deberet, uti si in Matutino trium Nocturnorum non haberes lectio-  
nes & responsoria, haberes autem psalmos; Addit *Stoz* l. 1. p. 3. n. 407., si in Matutino feriali haberes psalmos sed nō lectiones; item si haberes omnes psal-  
mos omnium Horarum, non autem hymnos, Ca-  
pitula & orationes, quia sine illis non videtur esse forma & substantia talis Horæ à *Pio V.* præscripta, & hanc rationem judicat esse probabilem *Carden.*,  
licet

licet n. 20. ipse cum *Gob.* in Exp. tr. 5. n. 622. alii-  
que meritò dicat oppositum esse probabilius, cum  
non ostendatur sufficiens fundamentum dicendi,  
quòd Ecclesia ejusmodi Horam præcipiat per mo-  
dum unius orationis indivisibilis, partes autem illæ  
retineant rationem notabilis orationis: Hinc *Laym.*  
& *Illf.* suprà valde probabiliter dicunt, si quis possit  
recitare, quantum sufficit ad materiam peccati mor-  
talis, sive quantum est una parva Hora, (secun-  
dum dicta n. 1202.) esse ad hoc obligationem; si au-  
tem sit minùs, dicunt nequidem sub veniali recitan-  
dum, quia seorsim non censetur æstimabilis ad fi-  
nem à lege intentum.

1221 §. III. Si quis non habeat majorem partem Of-  
ficii hujus diei, putant *Escob. Tamb.* suprà, *Stoz*  
n. 402. non teneri supponere aliud Officium, quia  
Ecclesia præscribit suum cuique diei Officium, nec  
scitur, quòd obliget ad immutandum: sed dicen-  
dum est cum *Gob. Sponer* & aliis teneri orare, sal-  
tem ex communi, vel Officium simile, quia præce-  
ptum orandi est in possessione, & secundum dicen-  
da n. 1250., valde probabile est cum tali immutatio-  
ne impleri substantiam præcepti.

1222 §. IV. Hactenus dicta valent, non solum respec-  
tu beneficiati, qui fortè ex justitia tenetur recitare,  
sed etiam respectu illorum, qui ex sola religione ob-  
ligantur ad orandum, est enim pro omnibus eadem  
ratio, *Carden.* n. 16. contra *Filgueram.*

1223 Q. 192. Quid præterea notandum sit circa ex-  
cusationem ob infirmitatem. R. Seqq.

§. I. Qui ob infirmitatem non potest recitare  
totum, & dubitat, an possit partem, secundum  
*Suar. Sanch. Laym.* l. 4. t. I. c. 6. n. 2. *Carden.* in 2.  
crisi d. 33. n. 19. *Neuss.* apud *Gob.* t. 5. n. 732. in ap-  
pend., ad nihil tenetur: quod *Illf.* t. 5. n. 165. di-  
cit

tit non improbabiler posse sustineri, quia in eiusmodi dubiis vix attingi potest punctum obligationis, & ne scrupulis aperiatur via, consuetudo legem interpretatur, ut sic dubitans censeatur liber: & quamvis possessio videatur esse pro præcepto, tamen putant id non obstare ob adjunctum periculum gravis nocementi, uti insinuabitur n. 1225. & maxime hic valet, quia simul adesset perplexitas, ex qua homo non posset se expedire, cum sit æquè periculum nocendi valetudini, quod illicitum est, quàm transgrediendi præceptum orandi.

§. II. *Sanch.* in Conf. l. 7. c. 2. d. 45. n. 4. *Tamb.* 1224  
in Decal. l. 2. c. 5. §. 8. à n. 13. *Stoz* l. 1. p. 3. n. 402. *Gob.*  
n. 471. & alii docent, si æger ex recitatione Horarum verosimiliter credat aliquam cruditatem stomachi vel capitis gravationem vel virium lassitudinem vel etiam febrim tardiùs remissionem, excusari ab Horis, quia hujusmodi damna, quæ in corpore sano sunt levia, in ægroto sunt gravia: hinc *Cap. Clericus*, 2. dist. 91. pro legitima causa non orandi habetur inæqualitas corporis, quæ non sonat morbum gravem: unde, inquit iidem AA. cum *Pellex.* T. 1. tr. 5. c. 8. n. 116., licet tales infirmi bonam diem partem confabulationibus expendant, atque etiam libros recreationis causâ legant, inde non sequitur teneri ad Horas, quia sermones & lectiones illæ afferunt ægro recreationem, nec morbus inde ingravescit sed potiùs levatur, è contrà recitatio Horarum est res seria & ex sua natura gravat caput ac molestiam affert: unde etiam postquam febris infirmum deseruit, dum adhuc vires sunt imbecilles & homo convalescit, potest ad aliquot dies differre recitationem, quia illa imbecillitas adhuc censeatur infirmitas, nec verisimile est, quod Ecclesia post tot labores neget eam requiem ægro: hinc etiam fieri poterit,

poterit , ut quis prius celebret Missam quam oret  
 Horas, uti cum aliis *Sanch. Tamb. Stoꝝ* n. 402. *Gob.* n.  
 715. & alii.

1225

§. III. Indubio , aũ morbus sit gravis an levis,  
 aut an recitatio sit allatura grave nocumentum vel  
 non, standum est iudicio Medici vel Superioris, aut  
 in horum defectu alterius viri prudentis, *Silv. Sot.*  
*Sanch.* aliique cum *Pelliz.* n. 115. Aut etiam stare  
 potes opinione propria , inquit *Gob.* n. 474., si sis  
 ita prudens , ut per te possis de talibus ferre iudi-  
 cium. Si autem nec illi nec tu possitis resolvere du-  
 bium, sed illud permaneat, *Suar.* dicit esse obliga-  
 tionem recitandi, quia præceptum est in possessione,  
 sed *Bonac. Castrop.* t. 7. d. 2. p. 6. n. 10. *Neuff. Stoꝝ*  
 supra & alii dicunt te non obligari, quia quando pe-  
 riculum , an illa recitatio sit graviter nocitura , est  
 certum , Ecclesia non obligat, cum non obliget ad  
 exponendum se certo periculo ; & hoc probabile  
 esse dicit *Tamb.* l. 1. c. 3. §. 7. v. *Hora Canonica*, n.  
 2. , quod confirmari potest ex dictis n. 1223.

1226

§. IV. Si quis ob infirmitatem non possit reci-  
 tare debito tempore, possit autem alio, v. g. si à pran-  
 dio laboret quartanâ, manè autem sit liber , aut è  
 contrâ, putant *Canus, Henriq. Caram.* aliique eum  
 non teneri anticipare vel postea supplere Horas re-  
 spondentes illi tempori, quo ægrotat, quia obliga-  
 tio anticipandâ vel supplendi videtur cum tantum  
 esse , quando impedimentum est ex nostra liberta-  
 te : hanc sententiam dicunt esse probabilem *Sanch.*  
 d. 43. n. 7. *Less.* l. 2. c. 37. n. 43. *Diana* p. 4. t. 4. R.  
 10. *Bonart. Gob.* n. 711. *Sporer* n. 172., sed proba-  
 bilitatem non video, ideoque opposita absolutè ce-  
 nenda est cum *Castrop.* n. 16. *Pelliz. Tamb.* n. 20.  
*Stoꝝ* n. 409., Ratio est manifesta, quia quòd oretur  
 hoc vel illo tempore, est circumstantia accidentalis  
 tantum,



tantum, obligatio autem orandi totum Officium incipit à media nocte & durat per singulas partes diei naturalis usque ad alteram mediam noctem.

§. V. Magna lassitudo, v. g. per longum iter, 1227  
faciens ut sit impotentia moralis recitandi, comparatur infirmitati ac similiter excusat; uti notant *Coton. Neuss. Stoꝝ* n. 402. Rarò tamen erit tanta, ut impotentiam moralem afferat.

Q. 193. Quid addendum sit circa excusationem 1228  
ob occupationes aliasque causas. R. Seqq.

§. I. Occupatio studii secundum se non excusat, nisi hic & nunc sit necessarium nec compossibile cum Horis, hinc *Alex. VII.* damnavit hanc 21. prop. habens *Capellaniam collativam aut quodvis aliud beneficium Ecclesiasticum, si studio literarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si Officium per alium recitet*: falsitas autem illius propositionis inde patet; quòd obligatio recitandi sit personalis, adeoque non possit committi alteri: Studium autem in hac damnatione ponitur exempli causâ, & idem est de alia simili occupatione.

§. II. *Caram.* docet eum, qui ex officio, v. g. 1229  
in scribendo, in Confessionibus audiendis occupatus est per 12. horas diei naturalis, non teneri illâ die recitare Officium canonicum, sed oppositum est certum, cum supersint aliæ 12. horæ, *Carden.* in 1. crisi d. 32.

§. III. Si quis careat Breviario vel sit cæcus, sciat 1230  
autem de memoria magnam partem Officii, *Soto* dubitat, an teneatur recitare; & non teneri dixerunt aliqui apud *Sanch.* in Conf. l. 7. c. 2 d. 46., quia beneficium memoriæ habet se sicut privilegium, quo nemo tenetur uti; sed oppositum rectè docent *Nav. Suar. Bonac. Valens. Az. Sanch. Less. Castrop. Carden.* in 2. crisi d. 33. n. 36. *Gob.* in Exp. tr. 5. n. 717. *Illf. T. 5.*

n. 41, & videtur certum, quia sola impotentia physica vel moralis excusat, qualem iste non habet: dari autem aliquando, saltem indirectè, obligationem utendi suo privilegio, dictum est l. I. n. 847.

1231

§. IV. Si quis non possit orare nisi cum socio, putant l. Sanch. Diana, Tamb. n. II. Stez n. 403. non teneri adhibere socium; quod tunc dicunt esse verum Less. & Garc., si non sit solitus orare cum socio: sed oppositum tenendum est cum Nav. Suar. Az. Bonac. Rodrig. Valent. Regin. Sanch. Castrop. Gob. n. 712. Spor. à n. 175. Illf. supra, quia sic potest impleri præceptum, neque hoc medium est difficile vel extraordinarium, cum fiat ordinariè in choro, & etiam alibi; alioquin etiam dicam eum non teneri orare, qui non posset sine conspicio. Non tenor tamen cum magno sumptu conducere socium, id enim esset onus extraordinarium, uti rectè Illf.

1232

§. V. Si quis damnetur ad triremes, multi cum Tamb. in Decal. l. 2. c. 5. §. 1. n. 4. dicunt non teneri ad Horas, tum quia Ecclesia non censetur ei velle superaddere hoc onus, tum etiam quia breviarium non potest decenter ab eo tractari; Oppositum tenent alii multi apud Gob. n. 731. & Dian. p. 2. t. 10. R. 40., quia cum decenter possit & sæpe debeat orare Deum, non est, cur absolvatur à Breviario, quamdiu legere potest, nisi Ecclesia eum liberet, de quo non satis constat. Si tamen alicui intimata sit sententia mortis, excusari pro tribus diebus ante executionem docent Tancredi, Tamb. §. 8. n. 5. Gob. n. 709., quia illa mortis propinquitas parit perturbationem æquivalentem infirmitati, & utilius per alia exercitia devotionis se disponit ad mortem: An & quomodo excuset tenuitas fructuum beneficii, dictum est n. 1199.

1233

Q. 194. Quid specialiter sit addendum circa dispens.

*Dispensationem ab Horis.* R. Hæc pauca: Dispensatio Papæ excusat etiam beneficiatum, licet supponamus eum ex iustitia teneri orare, uti habet communis cum *Gob.* in Exp. t. 5. n. 729. Deinde ubique jam usu reseptum est, ut Episcopus etiam hic cum causa dispenset ad breve tempus, *Tamb.* in Dec. l. 2. c. 5. §. 8. n. 24. Quod etiam de Vicario Episcopi afferit *Gob.* n. 714. & 729. causa autem est, si dubitetur de morali impotentia orandi. Etiam Superiores Ordinum possunt dispensare cum sibi subditis, *Tamb.* *Gob.* n. 730. Et specialiter potest Generalis Societatis *JESU*, ac alii, quibus ille committit, commutare obligationem infirmorum in aliud opus pium seu orationem leviolem, uti refert *Illf.* t. 5. n. 42.

Q. 195. *An & quomodo licitum sit ponere aliquid impossibile cum recitatione Horarum.* R. De hoc videri potest *Gob.* in Exp. t. 5. n. 732. Et cum proportione hic applicanda sunt illa, qua diximus l. 1. à n. 782. & l. 3. p. 2. à n. 1334. 1234

Q. 196. *Quid agere debeat, qui dubitat, an recitarit aliquam Horam, vel an aliquid omiserit.* R. Præter illa, quæ habet *Ref. 1. Busenb.* n. 1237. referendus, adde seqq. 1235

§. I. Si nullam habeat conjecturam, quod orarit, debet orare, quia præceptum est in possessione: **E** contra qui habet rationem aliquam vel conjecturam, quod dixerit hanc vel illam Horam, malè facit repetendo, quia aperit viam inanibus dubiis & scrupulis, ita cum aliis *Laym. Sanch.* in Conf. l. 7. c. 2. d. 34. *Illf.* T. 5. n. 40.; quod magis valet de scrupuloso, de quo dicitur à n. 1350.

§. II. Causa prudens repetendi Horam aut illius partem non est, quod non meminerit se dixisse, dummodo non meminerit se non dixisse, & habeat 1236

conjecturam, quòd dixerit, v. g. quia communiter nihil solet omittere aut transilire, non solet orare posteriorem Horam nisi oratâ priore, scit autem se posteriorem orasse, reperit signum, quod ponere solet, quando oravit Horam, scit se incepisse Horam & postea invenit se in fine &c. Ratio est, quia possessio tunc est pro ipso, certus enim est se solere Officium recitare, aut se hoc Officium recitasse, incertus, an partem omiserit, sed cùm communiter non transiliat Horam nec aliquid omittat, prudenter supponit se nec jam transiluisse vel omisisse, ita *Nav. Az. Suar. Fill. Bonac. de Horis d. I. q. 6. p. 3. n. 12. Tamb in Dec. l. 2. c. 5. §. 3. n. 9.*, unde etiam *Nav. Bonart. Sanctb. supra, Laym. l. 4. T. 1. c. 5. n. 11. Gob. in Exp. t. 5. n. 621. Ills. supra, Burgh. cent. 3. cas. 63. Pelliz T. 1. Tr. 5. c. 8. n. 99.* dicunt talem malè facere, si repetat, ob rationem antè datam. Addunt *Tamb. & Gob.* circa omissionem partis, quamvis haberet rationem probabilem judicandi se omisisse talem partem, adhuc tamen non teneri repetere, nisi moraliter certò constet, quòd omiserit, quia ratio illa, quòd quando incepit, communiter non omittat, prævalet omni alteri contrariæ rationi, quæ sit probabilis tantùm, secundùm illam regulam, quòd ex communiter contingentibus sit prudens præsumptio.

1237

## ARTICULUS IV.

*Quomodo recitanda sint Hora.*

“**R** Esp. In recitatione Horarum sequentes circumstantiæ sunt servandæ. I. Ut recitentur juxta  
 “præscriptum Breviarii Romani, jussu Pii V. edicti,  
 “saltem publicè. Excipe Religiosos, qui habent peculiare